

GEORGIUS SCHNAYDER

*Reverendissimo Domino Ma-
riano Michalski Professore Do-
ctissimo jubilaem celebranti
omnia faustissima precatur
G. S.*

**EDITIONIS GREGORIANAE AB ACADEMIA LITTERARUM
CRACOVIENSI INSTITUTAE FATA QUAE FUERINT**

Argumentum: Prooemium; I. Orationes; II. Scholiastae et commentatores; III. Epistulae; IV. Carmina et versus; V., Posteriora editionis fata; VI. Editorum opera interrupta.

PROOEMIUM

Commentarium, quem de editione parata, nondum tamen ad effectum adducta, in publicum emitto, non tam nostratibus (rem enim non ignorant), quam externis viris doctis dicatum esse volo. In quo conscribendo hisce usus sum fontibus.

Quaestionem occasione data S. Hammer saepius memorat¹, parcius tamen W. Madyda², uberrime T. Sinko³, utpote qui magna pars fuerit operis ab Academia suscepti. Utilis quidem commentariolus fuit M. Pleziae de V. Consilio Patristico Oxoniensi, a. 1967 habito⁴. Ego quoque haud pauca inspexi acta, tabulario Academiae Scientiarum Polonae Cracoviensis inclusa⁵, denique hereditatem excusi doctam

¹ *Historia filologii klasycznej w Polsce* (Historia philologiae classicae Polonae), Kraków 1918.

² *Z dziejów filologii klasycznej w Uniwersytecie Jagiellońskim* (Quaedam de historia philologiae classicae in Univ. Jagellonica), Kraków 1964.

³ *Literatura grecka* (De Graecorum litteris), Wrocław 1954, III 2, p. 217 sq; praecipue v. adnot. 4—99.

⁴ Cf. *Nauka Polska* (Poloniae Scientia), 1967, nr 2, p. 108—111.

⁵ E. c. Acta sessionum Praesidii Acad. Litterarum a. 1905 et insequentibus peractarum (sign. Acad. Scient. I 9), acta sessionum Classis I

L. Sternbachii manibus conscriptam, quae nunc in Seminario Philologiae Classicae Universitatis Jagellonicae asservatur.

Joh. Hulewicz, vir doctissimus, qui Academiae Litterarum Cracoviensis historiam nuper exaravit, professus est ⁶ principiis praecipue saeculi nostri auctam esse hominum nobilium Polonorum munificentiam in litterarum studia sublevanda. Ad nos primum omnium pertinet libellus, cui A. Cieszkowski, Wierzenica oriundus, nomen suum notavit ⁷. Epistula data est die 2. 1. 1905 ⁸ atque hoc fere exemplo erat: „Ad ea, quae sequuntur, paratus sum intra quinque annos mille florenos, uno quoque anno persolvere ⁹ ad Patrum ecclesiasticorum Cappadocum editionem parandam...”

Quaeritur nunc, cur in eo scripto Patres ecclesiastici et hi ipsi Cappadoces commemorati sint. Ea quidem aetate-quod inter omnes constat scriptorum ecclesiasticorum tam Latinorum, quam Graecorum editiones veluti usu et consuetudine receptae sunt. Quis tamen proximus A. Cieszkowskii inspirator fuerit, non liquet. Non nesciebat tamen, ut videtur, vir nobilis ab Academia litterarum Vindobenensi (iam inde ab a. 1866) *Corpus Scriptorum Latinorum Ecclesiasticorum* in publicum mitti, ab Academia vero Litterarum Borussica (inde ab a. 1897) editionem Patrum Graecorum Ecclesiasticorum, trium priorum post Chr. n. saeculorum in vulgus proponi, ut non dicam de *Corpore Scriptorum Christianorum Orientalium* a Francogalorum viris doctis ab a. 1903 suscepto. Sic factum est, ut ab A. Cieszkowskio hic ipsi Patres Cappadoces, IV saec. post Chr. n. vitam degentes, delecti sint.

ex eodem temporis spatio sign. I — 2. 3. 4), denique acta Collegii Studiis Philologiae Classicae Promovendis a. 1912 conditi (sign. I — 202).

⁶ *Akademia Umiejętności w Krakowie* (Academia Litterarum Cracoviensis) (1873—1918), Wrocław, Ossolineum 1958, p. 86 sp.

⁷ Cf. *Polski Słownik Biograficzny* (Biographicum Lexicon Polonum). IV/1 (19.2), 66 sq. s. v. August Adolf Józef Cieszkowski haec docet: August Cieszkowski (1861—1932), filius Augusti, philosophi nobilis, qui in rebus publicis quoque versabatur, agrorum possessor fuit, largitionibus insignis, pecuniis sublevabat viros doctos, qui in Italiae tabulariis vetera documenta Polonica conquirent.

⁸ Inde corrigendus est annus 1904, quem perperam T. Sinko (l. c. 218) tradidit.

⁹ Id sumam faciebat 10 milia coronarum Austr.

Academiae praeses, St. Tarnowski, propriis litteris, die 20. 3. 1905 datis, largitori gratias persolvit pro munificentia „sine qua editio prospere cedere sane non posset”. Fugit, ut aequum erat, virum doctissimum futura editionis sors et fortuna. At interim iam die 25. 3. 1905 Secretarius Academiae Generalis in consessu Praesidii eis, qui aderant, notum facere potuit primam subsidii Cieszkowskiani pensionem (i. e. duo milia coron. Austr.) nunc ipsum solutam esse¹⁰.

Iam die 13. 2. 1905, i. e. mense fere interiecto post Cieszkowskii declarationem factam, Cas. Morawski et L. Sternbach professores formam editionis Patrum Ecclesiasticorum IV saec. Academiae Classi I-mae descripserunt. Viri doctissimi consilium ceperunt operum Gregorii Nazianzeni edendorum¹¹. Qua in re sine dubio opinio valuit L. Sternbachii, de Byzantinis studiis promovendis meritissimi, qui postquam ad a. 1904 haud pauca studia Byzantina idque praestantissima publici iuris fecit, soli abhinc Nazianzeno, praesertim poëtae navare inceptit. Idem vir doctissimus editioni praefuit. Ei soli regimen obvenit studiorum, quae ad editionem praeparandam pertinebant. Et opportune est factum, quod moderatori praesto erant iuvenes dociles et ingenio prompti, qui nuper doctorum iura et honores in Universitate Jagellonica adepti sunt: T. Sinko, G. Przychocki, J. Sajdak, ad quos postea S. Hammer se applicavit. Horum igitur studia moderator incitavit maxime. Iuvenes docti sine mora ad opus aggressi sunt

¹⁰ Ea, quae de editionis subsidiis a praecessoribus meis adhuc tradita sunt, quibusdam plenius reddere placet:

1. Eodem anno 1905 quidam Academiae socii litteras ad Ministerium für Kultus und Unterricht Vindobonense miserunt, quibus subsidium ad Graecorum Patrum editionem parandam precabatur. Ministerium litteris die 31. 1. 06 datis (nr. I 25288-05) subsidium duorum milium coron. Austr. Academiae concessit, id quod par fere erat singulis pensionibus subsidii Cieszkowskiani.

2. Die 4. 5. 20 Classis I (i. e. Philologa) Academiae ex Rei Publicae donatione (iam Polona) decem milia coron. Austr. ad editionem Gregorii Nazianzeni sublevandam assignavit.

3. Die 10. 11. 21 donatio extraordinaria assignata est Classi I Academiae, scil. decies centena milia marcar. Polonarum, e qua dimidium ad iter L. Sternbachii in Italiam suscipendum, dimidium vero ad ipsam Gregorii editionem destinatum est.

Sic — ut vides — editoribus futuris haud exiguae profecto copiae praesto fuerunt.

¹¹ Editio Gregorii Nysaei mox in Germania initium cepit.

et a. 1906 peregre profisci instituerunt, qua in re professoris peritissimi praeceptis usi intra 40 fere annos in bibliothecis Vindobonae, Berolini, Parisiorum, Vaticani, Mediolani, Montis Cassini, Oxonii, quin etiam in Patmo insula 1500 fere codices inspiciebant, in classes describebant conferebantque, libros manuscriptos una cum scholiis tractabant.

Quae studia ac peregrinationes iuvenes docti, ut par erat, ad Academiam perferebant. Sic — ut exemplum ponam — G. P r z y c h o c k i in sessione I Classis, die 22. 1. 12 habita, de Gregorii codicibus Britannicis referebat. J. autem S a j d a k (4. 10. 12) ibidem historiam criticam scholiastarum Gregorii (Partem I) exposuit. Iam prius, die 4. 7. 11. decretum est L. S t e r n b a c h i o id proponente, „ut praeter Patrum ecclesiasticorum editionem simul singuli fasciculi foris ederentur, qui *Meletemata Patristica* communiter inscripti diversas dissertationes continerent, tamquam editionis ipsius commentari”. Sic factum esse potuit, ut in novissimo tum volumine *Historiae Litterarum Graecarum* a. W. C h r i s t et ab eis, qui opus continuaverunt, exarato, (scil. VII 2, München 1913⁵) praeter mentionem de studiis, ipsius editionis apparatus instrumentibus (p. 1183, 1185) haec quoque de Gregorio Nazianzeno cognosci potuerint (p. 1187): „*neue Ausgabe wird von der Krakauer Akademie der Wissenschaften vorbereitet*” Adnotatio, qua sine dubio editores obligabantur.

Priusquam tamen ipse de posterioribus editionis Gregorianae fati agam, studia adiutorum Sternbachii praeparatoria laudare occupabo. Quae ut evidentius digerantur, genera litterarum potissimum sequar a Gregorio culta, quae singulis iuvenibus doctis ad tractandum tum evenerunt.

I. ORATIONES

Ea erat T. S i n k o n i s provincia, qui a. 1903 publica docendi facultate praeditus, iam a. 1905 Parisios profectus est, deinde Vindobonam nec non in Italiae urbes: Romam, Florentiam, Venetiam, Mediolanum, ut libros manuscriptos ibi investigaret. Optimis igitur codicibus perlustratis indagacionis eventum in commentariis „Eos” exposuit (scil. XII 1906 et XV 1909).

Iuxta has pervestigationes historiae litterarum studia a Sinkone minime neglegebantur. Sic martyrologiae locos communes in 15 oratione Gregoriana (c. i. De laudibus Macchabaeorum) manifestos congesit¹². Eodem dissertatio spectabat *De Cypriano Martyre a Gregorio Nazianzeno laudato* conscripta¹³. Duarum personarum collationes, quae ita a rhetoribus nuncupabantur, Sinkonem detinuerunt in opusculo, c. i. *De collationibus apud Gregorium Nazianzenum usu*¹⁴. Testimonia quoque e conciliis et scriptoribus veteribus congesit, quibus Gregorius theologus laudibus extollebatur¹⁵. Ibi quoque orationum textus historiam usque ad VII saec. Sinko indagavit.

Denique in classes digessit vir doctissimus libros manuscriptos, quos ipse exploraverat, de varietatibus lectionum in 4 orationibus obvenientibus, ex duabus familiis praestantissimis haustis, disceptavit; chronologiam vero orationum et loca, ubi ipsae habebantur, paulo prius constituit ac designavit¹⁶. Sic *Meletematon* volumine II et III historiam textus omnium orationum exposuit, indagationum, quas sua susceperat Minerva, eventum haud sane spernendum. Cum vero a. 1966 senex plus quam octoginta annorum mortuus esset, in domicilio eius centesimae fere octogenae commentationes (sic Professori C. Kumanieckio professus erat), quas omnes congesserat, ad orationum textum recensendum necessariae remanserunt. Omnino autem ingenue liceat profiteri non nimis propenso animo editoris operam Sinkonem respexisse.

Gregorii orationes alii quoque Sternbachii discipuli ad se pertinere putabant, modum tamen studiorum terminaverunt. Sic J. S a j d a k cum in Occidentis terras pergeret, ex itinere Helvetiam visitavit, in cuius bibliothecis codices videlicet non

¹² V. Eos XIII 1907; cf. quoque Ios. Dziech, *De Gregorio Naz. diatribae, quae dicitur, alumno*, Posnaniae 1925.

¹³ Commentationes Classis Philol. Acad. Litterarum Cracoviensis (= ALC.), vol. 53, 1916.

¹⁴ V. *Studia Nazianzenica*, vol. I (Comment. Philol. ALC., ser. II, vol. 26, 1906, p. 249 sq).

¹⁵ Cf. *De traditione orationum Gregorii Naz...*, pars I, De traditione indirecta (*Meletem. Patrist.* III, Cracoviae, ALC. 1923).

¹⁶ Scil. in dissertatione c. i. *De traditione directa.*, *Meletem. Patrist.* II, Cracoviae, ALC. 1917.

solum orationum excussit¹⁷. Sed etiam ipsis orationibus quibusdam Gregorianis earumque rhetoricae arti indagandae J. Sajdak peculiaria studia dedit. Sic, ut exemplum ponam, laudationem Heronis philosophi (or. 25) examinavit¹⁸ et proposuit, ut contra Hieronymi opinionem oratio non ad Maximum cynicum, sed ad aequalem quendam eiusdem nominis virum referretur. Item 46 auctores poetas et prosaicos Gregorii laudatores Sajdak indagavit¹⁹. Indagavit porro posteriores retractiones partium aliquot orationum, quae poeticorum hymnorum formam nonnumquam induebant²⁰. Statuit quoque, quatenus Gregorius ad rhetoricam artem valuisset²¹. E peculiaribus lexicis, quae ad scholarum usum, ad meliorem orationum comprehensionem parabantur, vir doctissimus unum protulit exemplum²².

Notandum est quoque S. Hammerum orationum libros manuscriptos Vindobonae, Monaci, etiam in Patmo insula contulisse, G. autem Przychocki, cui quidem Gregorii litterae erant pertractandae, e cod. Vaticano 722 (saec. XVI) ampliorem, quam adhuc editus erat, textum foras dedisse narrationem de Patrum ecclesiasticorum illustrium contentione cum Gregorio oratore²³.

Addere denique liceat novissimi belli tempore Johannem Sajdak omnes orationes in Polonum vertisse sermonem,

¹⁷ V. Eos XVII 1911; cf. Byzant. Zeitschrift XXI 1912; Wochenschr. f. Klass. Philologie XXIX 1912; de consimilibus St. Witkowski indagationibus in Hispaniae bibliothecis susceptis v. Eos XIII 1907. Ea quoque virorum doctorum itinera W. Christ, l. c. p. 1183 sq. memoravit.

¹⁸ Cf. *Quaestiones Nazianzenicae I* (Eos XV 1909).

¹⁹ V. *Historia critica scholiastarum et commentatorum Gregorii Nazianzeni I: De codicibus scholiastarum et sommentatorum Gregorii Naz. Accedit appendix de Ps. Gregorianis et Gregorii encomiis* (Melet Patrist. I 1914, p. 248 sq.).

²⁰ Cf. *De Gregorii Naz. poetarum Christianorum fonte*, Archiwum Filol. (Acta Philol. nr. 1, Acad. Scient. Polon., Cracoviae 1917).

²¹ Cf. *De Gregorii Naz. posteriorum rhetorum, grammaticorum, lexicographorum fonte I* (Eos XVI 1911 sq; XVII 1912).

²² Scil. *Anonymi Ozoniensis Lexicon in orationes Gregorii Naz., Symbolae grammaticae in hon. J. Rozwadowski I*, Cracoviae 1927, 153 sq.

²³ Scil. in Eos XVI 1911. — Addimus tam T. Sinkonem, quam G. Przychockium Wien. Stud. XXIII 1911/Ps. epigrammum Gregorianorum libros manuscriptos significasse, unum autem tale pseuepigraphon, scil. celebres Terrae marisque contentionem a T. Sinkone unacum commentario publici iuris factum esse (*Stud. Nazianz. I*, l. c. p. 309 sq; cf. etiam Eos XV 1909).

eodem autem tempore et T. Sinkonem 16 orationes „in ecclesia lectitatas” item in Polonum transtulisse. Quae translationes pariter adhuc ineditatae permanent.

II. SCHOLIASTAE ET COMMENTATORES

Indagatio exquisitissimorum hac in re studiorum subtilitatem exspectabat, cum Pater ecclesiasticus celeberrimus sane numerosos codices habuerit, ut nullus fortasse scriptor alius, praeter Aristotelem. Hanc curam Jo. Sajdak récepit, socius L. Sternbachii et administer, mox Secretarius factus Consilii peculiaris, ad Patres ecclesiae edendos constituti. Iam ipsum dissertationis propositum, quo a. 1909 doctoris gradum adeptus est, scil. *Quaestiones Nazianzenicae* (v. supra p. 7) Sajdakium Gregorii indagatorem destinabat. Munus, quod nunc subiit, exsecutus est a. 1909—12; in tanto codicum numero centurias librorum perscrutabatur Vindobonae, Basileae, Parisiis, Londini, Oxonii, Monaci... Hos omnes libros, quorum collationem magno labore et assiduitate sibi paraverat, postea I. volumine *Melatematon* (1. c. p. 340 sq) descripsit. Praeterea accessiones quasdam vir doctissimus typis vulgavit²⁴. Etiam a. 1930 in commentariis Byzant. Zeitschrift (XXX) de scholiastis orationum Gregorianarum scribebat. Ultimum hoc eius studium fuisse videtur rerum, in quibus indagandis impigre versabatur²⁵.

III. EPISTULAE

Epistularum editionem primum St. Witkowski inde ab a. 1902 Universitatis Leopolitanae professor suscepit. Cum vero editoris munus postea renuntiasset, Sternbachii adiutori natu minimo, Gustavo Przychocki, idem mandatum est.

²⁴ Scil. in Eos (e. c. XV 1909; XVII 1911; XXIII 1918).

²⁵ Vetustissimis tamen scholis T. Sinko operam dedit (v. *Meietem*. I. c. III, Cracoviae 1923) monstravitque VI. saec. scholiastae Ps. Nonnio quem ita nuncupare solemus, prorsus ignotas eas fuisse. Cuius explicationes, historiae fabularis propriores (= „historias”) T. Sinko tractavit (cf. *De expositione Ps. Nonniana historiarum, Charisteria in hon. C. Morawski*, Cracoviae 1922, 124 sq), codices „historias” continentes J. Sajdak enumeravit, libelli autem de magica arte vestigia G. Przychocki exploravit (cf. Byzant. Zeitschr. 22, 1913, 65 sq).

Przychocki eodem fere tempore atque J. Sajdak in bibliothecis peregrinis tota, quamvis non omnia, corpora investigabat epistolarum. Codices vir doctissimus indagabat in Italia, Britannia (aliquot menses Oxonii commorabatur), Parisiis, Vindobonae, Berolini. Inquisitiones diligentissime exposuit in „Eos” (XVI 1910), Wiener Studien (XXXIII 1911) atque in Commentationibus Classis Philologiae Acad. Litterarum Cracoviensis. In his studiis fundamentum positum erat, quo innisus Przychocki posteriore tempore historiam Gregorii epistularum conscripsit.

Sed eius modi indagaciones sine dubio non mediocrem vim habuerunt ad proxima quoque studia, quibus vir sagax litterarum historiam colebat. Primum omnium ad ipsam epistolam animum advertit, tamquam peculiare litterarum veterum genus, itemque rationem ac doctrinam antiquam epistularum scribendarum ad se pertinere putavit. Et quamvis inscriptio dissertationis, qua docendi munus assecutus est, Gregorium solum respiciebat, (scil. *De Gregorii Naz. epistulis quaestiones selectae*, Comment. Classis Philol. Acad. Litt. Crac., vol. L 1912), opus quaestiones continet paulo ampiores. Auctoritate docta certae sunt capita duo, q. i.: *De epistolarum scribendarum doctrina* (p. 248 sq) et *De epistularum generibus et compositionis arte* (p. 359 sq.). Iam duo capita illa inter epistolographiae eiusque doctrinae peritissimos virum doctum ponebant et talem e. c. J. Sykutris eundem laudavit, scil. in capite *Epistolographie* (RE Supplbd. V. 1931). Cum post aliquot annos dissertationem vernacula lingua conscriptam, c. i. *De studio epistolographiae Graeco-Latinae*, publici iuris fecisset²⁶, sub oculos uni cuique cadebat auctorem paratissimum esse ad librum conscribendum, quo epistolarum veterum ars ratione cognita comprehenderetur. Id quamvis ad effectum non pervenit, sed ad rem ipsam Przychocki sub ipsum vitae exitum recurrit, cum — ut supra monuimus — Historiam epistularum Gregorii patrio quidem sermone conscripsit²⁷.

²⁶ V. Eos XXXIX 1938.

²⁷ V. Commentationes Classis Philol. Acad. Scientiarum Polonae, vol. LXVII 1946.

IV. CARMINA ET VERSUS

Ad carminum editionem, quae numero plus quam duodeviginti milium versuum Homeri Iliada superant, ipse magister doctissimus aggressus est. Addendum est hoc loco poetica Gregorii opera satis superque vetustiores Polonós tenuisse: nonne iam saeculo inde a XVI editiones iteratae translationesque eorum efflorescebant?²⁸ Etiam novissimi belli tempore a. 1944 omnes fere Gregorii versus S i n k o in Polonorum vertit sermonem, sed opus adhuc ineditum est.

At L. S t e r n b a c h, vir eruditissimus, cuius Byzantina praecipue studia magna autoritate gaudent apud totius fere mundi viros doctos, utpote qui criticae artis leges penitus perspexisset, quamvis studiis fecundus ipse, in Gregorii tamen operibus indagandis parum adhuc versabatur. Nova potius et emendata Anthologiae Palatinae editio in animo erat, cui intentus saeculo XIX exeunte aliquotiens bibliothecas peregrinas vir doctissimus visitavit. Sed celeberrimum theologum et poetam tum demum respexit, cum Academia Cieszkowskii munificentia non mediocriter excitata, editionem Gregorianam apparare constituisset.

Sternbach tamen alia ratione atque adiutores laborem ordinavit. Cum annis 1883—90 iam satis peregrinatus esset, nunc quidem itinera facere vix festinabat. Semel itaque (i. e. die 10. 11. 21), ut id ex Academiae tabulis eruere mihi contigit, Rei Publicae Polonae dotationem accepit ad iter Romam suscipiendum²⁹. Itaque codicum exemplaria potius photographice depicta providenda curavit³⁰.

Dissertationes peculiare ad Gregorii carmina referandas omnino non multas vir doctissimus in publicum edidit: plura videlicet in peculiari editionis volumine, ei ipsi destinato, collocaturus erat. Separatim septem tantum opuscula minora magna ex parte in Relationibus Academiae typis vulgata sunt³¹.

²⁸ Cf. T. S i n k o, *De Graecorum litteris* l. c. p. 221, adn. 72.

²⁹ Sed vir dives propriis pecuniis usus alia quoque itinera, mihi quidem ignota inire potuit.

³⁰ In parte hereditatis Sternbachinae ea, quae in Seminario Philologiae Class. Universitatis Jagell. servatur, 14 fere capsas et 8 arculas talibus exemplaribus refertas nulla tamen nota insignitas ego ipse offendi, praeterea ad 200 exemplaria soluta.

³¹ E. c. *De Gregorio Nazianzeno Homeri interprete (Stromata in hon.*

At nonnulli Sternbachii discipuli Gregorii carmina, a se non aliena putabant. Sic T. Sinko in commentationibus, q. i. Polonia Sacra (I 1918) de lyricis carminibus, in „Relationibus” (l. c.) vero (Vol. LXVIII, 1947) de chronologia carminum disputabat. Animum advertit, quo modo idem vir doctissimus duo Gregorii poemata, quae ad accentum composita ita nuncupari solent, scil. *Doxologiam* (poes. dogm. nr. 32) et *Exhortationem ad virg.* (poes. mor. nr. 3) propria Minerva explicaverit³².

Contra W. Mayeri et E. Bouvy'i opinionem, qui hexametri numerum in his conspexisse sibi videbantur, Sinko docuit Gregorium, veterum exemplis eruditum, monstrare sibi proposuisse habere se facultatem versus faciendi, qui syllabarum quantitate neglecta (IV saec. poetis iam paene ignota), earum potius accentum respicerent.

In capitis calce addendum est Johannem rursus Sajdak nonnullos Gregorii versus posteriores apud scriptores appositos invenisse³³. Talia igitur firmissima erant certaue fundamenta, in quibus Gregorii editio instituta, posita esse debuit.

V. POSTERIORA EDITIONIS FATA

Iuxta Classem I ALC. segregatum Collegium Studiis Philologiae Classicae Promovendis, Cas. Morawskio moderatore, a. 1912 conditum est. Statim in prima Collegii sessione (14. 10. 12) separatum Consilium ad Patres ecclesiae edendos, tamquam officium suppositum exstitit, id quod L. Sternbach magno cum gaudio accepit. Moderator electus est L. Sternbach, vicarius T. Sinko, secretarius J. Sajdak. Frustra tamen T. Sinko iam a principio in eadem sessione viros doctos attentos faciebat, ne Collegium, quod ordinandi rationem spectat, cum

C. Morawski, Cracoviae 1908; *Dilucidationes Nazianzenicae* I. II (Eos XVI 1910; XVII 1911); *Glossarium Parisinum in Gregorium Naz. carmina* (Relat. l. c. XIV 1909); *Źródła rękopiśmienne do wydania pieśni Grzegorza z Naz.* (Codicum fontes ad Gregorii Naz. carminum editionem pertinentes), Relat. l. c. XV 1910; *ibid.* *Quaestiones prosopographicae de Olympiade; Wpływy aleksandryjskie i późniejsze u Grzegorza z Naz.* (Quatenus Alexandrini et posteriores poetae valuerint ad Gregorium Naz. inspirandum (Relationes l. c. XXVII 1922); *Prolegomena in carmina Gregorii Naz.* (*ibid.* 1925).

³² V. l. c. p. 202—3; adn. 83.

³³ V. Eos XVI 1910.

Consilio iungeretur, utpote cuius munus singulare prorsus esset. Sinkonis tamen opinio neglecta est et usque ad exitum belli secundi, quod bellum omnium terrarum appellare consuevimus, Consilium cum Collegio coniunctum permansit.

Nonnulla tum postulata etiam paulo latiora approbata sunt. Sic e. c. ut post Consilii munera nunc paene ad finem adducta pecuniae subsidia ad Collegium redirent (11. 11. 12). Erant quoque postulationes, ex quibus sequi videtur quibusdam viris doctis res veras non cecidisse. Sic St. Witkowski, Academiae membrum, in sessione Classis I, die 8. 10. 23 habita, haec proposuit: „postquam editorum studia praeparatoria longius provecta sunt ita, ut his proximis annis editionis finis exspectaretur, iam nunc providendum est ceterorum quoque patrum editioni” Quoniam — ut rogationis lator id notum faciebat — Iohannis Chrysostomi et Gregorii Nysseni opera aliis in terris edenda parantur, Witkowski igitur sententiam tulit, ut Basilii Magni codices perscrutarentur. Iterum T. Sinko nequiquam monebat duo milia et dimidium Basilii codices existere, in omnibus fere mundi bibliothecis dispersos: inde editionem Basilianam vix ad finem adduci posse. Adversus hanc sanam sine dubio opinionem propositum Witkowskii ratum factum est, scil. „ut editione Gregoriana finita pro pecuniae copiis ad editionem Basilii Consilium accederet”

Bellum novissimum, quod tam miserabilem rerum ordinem patriae nostrae habuit, haud leve profecto damnum personale editioni intulit, quam tractamus: L. Sternbach, professor una cum aliis Universitatis Jagellonicae professoribus, ut omnibus notum est, in castra delatus ad captivos civiles detinendos, Sachsenhauseni posita, a. 1940 cruciatu confectus periit. Damnum igitur ipsi evenit pastori, et repetere hoc loco Matthaei verba (26, 31) placet: Percutiam pastorem et dispergentur. Sed Gregorii editores, quibus atrocitatem belli quodammodo evitare contigit, non ita longe post eius finem, Consilii et Collegii membra, die 1. 7. 46 convererunt. Sessioni G. Przychocki praefuit praesentibusque nuntiavit tam praesidii Academiae socios (die 11. 4. 46), quam Classis I-mae (die 13. 5. 46) postulavisse, ut editorum Gregorii actiones redintegrarentur. Inde G.

Przychocki, hoc tempore Collegii moderator, haec eis, qui aderant, notum fecit: Consilium rem susceptam inchoatam reliquit, eius moderator a. 1940 diem supremum obiit, qui autem eius vice fungebatur, statim munus suum et Consilii societatem deposuit, praeterea ultimorum annorum Consilii actiones non sunt notae et nulla profecto servata sunt acta, quae ad id spectant³⁴. Deinde per tot annos sane non multum factum est, ut quae viri docti inceperant, promoverentur. Quae professus Przychocki proposuit, ut secundum novum Academiae decretum (v. § 47) a. 1929 promulgatum, Consilium crearetur novum operibus Gregorii edendis, solutum tamen suasque leges habens. Hasce potestates eligendas Przychocki commendavit: S. Hammer (moderator), G. Manteuffel (eius vicarius), St. Skimina (secretarius), reliqua Consilii membra: C. Kumniecki, Joh. Sajdak, A. Turyn³⁵.

Quae proposita omnia unanimitate decreta ad Classsem I Academiae relata atque ab ea die 10. 9. 46 probata sunt, his tamen additis, ut Consilium brevissimo tempore notum faceret, qua condicione studia praeparatoria nunc sint et quando sit exspectanda Gregorii editio confecta. Abhinc igitur S. Hammer, nunc moderator Consilii res eius bis ad Classsem I. Academiae referebat (scil. diebus 30. 9. 46 et 12. 6. 47). Quibus cognitis Classis I ultimum diem statuit Gregorianae editioni emittendae, scil. annum 1956, monuitque praeterea (10. 10. 49), ut a bibliothecis peregrinis codicum imagines luce impressae, adhuc inexploratae, parandae peterentur.

Haec sunt ultima fere vestigia, quae mihi invenire contigit, dum actiones Consilii Gregoriani in tabulariis persequerbar.

VI. EDITORUM OPERA INTERRUPTA

Ab ulterioribus tamen rebus gerendis diuturnus deinceps morbus, quem mors sequebatur, viros doctissimos avocabat. Prior mortuus est S. Hammer moderator (a. 1955), deinde G. Manteuffel vicarius mortem oppetivit (a. 1956), vix 56 annos

³⁴ Id ego ipse cognovi cum Academiae tabularium inspexissem. Et revera post bellum confectum nemo cognitum habebat, quae studia manuscripta e diluvio belli erepta essent, scil. praeter libros prius typis vulgatos.

³⁵ A. Turyn tamen, quantum scio, societatem Concilii non accepit.

natus, tum St. Skimina secretarius (a. 1962), denique J. Sajdak (a. 1967). Solus K. Kumaniecki hodie vivit.

Id tamen, quod G. Przychocki palam professus est ³⁶ Consilium operi suscepto non satisfecisse, parum iustum mihi equidem videtur. Nonne omnes fere libri Gregoriani in bibliothecis peregrinis collati et descripti sunt, nonne permulta sane opera edita sunt, quae in subtiliore doctrina versantur? ³⁷ Quae studia firmissima sunt profecto fundamenta eorum, si qui nunc in Gregorii operibus edendis versantur; eis nempe usus est P. Gallay, Francogallorum vir doctissimus, hoc tempore Epistolarum Gregorii editor ³⁸. Polonorum insuper studia quaedam initium praebuerunt libris doctis, qui longius extra provinciam Gregorianam spectant: sic G. Przychocki, epistularum investigator, inductus est — ut supra iam monui — ad ipsum epistularum genus litterarium ex praeceptis parte indagandum eique studio fundamenta iecit ipse.

Attamen, quod ad textus ipsius Gregoriani editionem spectat, horum annalium scriptor sane non multum chartis mandare potest. Addere tamen liceat haec: in sessione Classis I L. Sternbach primam conceptionem speciminis proposuit, qua, volumine I-mo cum Prefatione et editio critica poematis, q. i. De se ipso (nr. 1) continebatur ³⁹. Sed etsi vir doctissimus iam prius (die 8. 10. 23), scil. in sessione professus est non maiorem, sed minorem potius Gregorii editionem parari posse, nunc eruditio copiosa et subtilitas usque eo ipsum deduxit, ut apparatus criticus, ad unum tantum versum pertinens totam fere occupaverit paginam. Inde editor alteram apparatus con-

³⁶ Scil. in sessione die 1. 7. 46 habita; v. supra p. 15.

³⁷ Quae proximo tempore, (iam a. 1913) idque decies fere apposita sunt in nobili illo litterarum compendio, quod W. Christ l. c. in publicum edidit (scil. pp. 1182, 7; et adn. 6; 1184 et adn. 2, 4; 1185 et adn. 1; 1186, 1187).

³⁸ Qui quidem a. 1967 II volumen Epistularum publici iuris fecit.

³⁹ Sternbachium cum his operibus doctis, manu scriptis, in publicum processisse aequae S. Hammerus tradit, l. c. p. 37, quam T. Sinko, l. c. p. 221, adn. 72. — Diem tamen eius facti ex tabularii documentis accuratius designare vix possum. T. Sinko in universum tantum „circa a. 1930” id factum esse pro certo habet; ceterum cf. adnotationem insequentem.

ceptionem paravit, ea quae supererant in Prolegomena reiecturus⁴⁰.

Sed cum bellum ingruisset, Sternbach, propter Iudaicam originem multo magis quam ceteri collegae periculo et vexationibus expositus est. Inde cum ceterorum professorum chirographa apud ipsorum familias remansissent, Sternbachii domicilium a. 1940, ipso quo vir doctissimus mortem oppetivit, scrutatione facta direptum est ac spoliatum. Chirographorum, quod reliquum erat, iussu magistratum publicae disciplinae primum in veterem Bibliothecam Jagellonicam, deinde in novam eius sedem transportata sunt, nunc in Seminario Philologiae Classicae Universitatis Jagellonicae asservantur. Cum ibi ego ipse disiecta illa studiorum membra perscrutarer, quae duplicem iam idque belli tempore migrationem sunt perpessa, quid invenire potui?

Praeter exemplaria photographice depicta (v. supra p. 13) decem fere erant fasciculi, item tabularia et chartae solutae, in quibus diversi erant enotati loci paralleli itemque variae lectiones ad apparatus quendam criticum pertinentes, solutae tamen atque ideo parvi nobis pretii. Fascicula ac tabularia inscriptionibus omnino carebant, adde quod ipsa opercula adnotationibus solutis paene obruta erant ita, ut cui quaestioni attribuenda sint, vix possit cognosci. Quae reliquae miserabiles ad vetustiora quaedam viri doctissimi studia spectare videntur. Duas tantummodo res inveni, quae accuratius possint designari, scil.: 1. fasciculum, quo bibliographia Gregoriana, generalis tamen continebatur et 2. alterum fasciculum, c. i. Miscellanea Gregoriana.

Attamen L. Sternbach sine dubio apud se habebat ad prelum parata atque in ordinem redacta ea, quae ut supra monuimus, circa a. 1930 Academiae praesens proposuit ipse. Haec quidem animum in se convertisse videntur eorum, qui ex officio viri doctissimi villam et domicilium perscrutabantur. Ea videlicet chirographa, invidia circumventa interierunt. Contra servatae

⁴⁰ Horum ambitum ad 4 volumina rationem vir doctissimus revocavit. Prologomena in I Classis sessione (die 11. 5. 23) proposuit, argumentum vero in Biullet. de l'Acad. Polon. des Sciences et des Lettres a. 1925, p. 1925, p. 163 edidit.

sunt res, quae scrutatoribus viles esse videbantur et obsoletae ob vetustatem.

Quae in commentario meo attuli, perveniant velim aliquo modo ad societatem nomine *Association Internationale des Etudes Patristiques*, quae a. 1965 Parisiis condita id praecipue agit, ut in indicem referat viros doctos, qui hodie in diversis terris Patrum Ecclesiae studio dediti sunt. Qua in re adiuvabit nos, ut spero, M. Plezia noster, utpote qui a. 1967 V-to Consilio Patristico Oxonii habito interfuerit ipse⁴¹.

In calce quaestio se infert ipsa: cur editio illa Gregoriana ad illud paene tragicum pervenerit, ut inchoata sit derelicta.

1. Primum omnium post opuscula edita, quibus ad ipsam editionem via muniebatur et post bellum a. 1918 confectum, Polonia restituta et quod ad oeconomiam spectat restituenda, publicis rebus administrandis praecipue intenta, rei nummariae inopia laborabat. Inde solutio pecuniae et pensiones multum difficultatis habebant, quo et Gregorii editoribus incommoda non levia oriebantur. Quae non aliter post bellum II finitum sane non defuerunt. Adde quod parum tum cognitum erat, quae ex materia congesta, ad textus editionem necessaria, essent servata, quae autem funditus interiissent.

2. Non bene item evenit, quod tantae amplitudinis institutum editor unicae solummode suboli doctae ad exsequendum est mandatum. Quo factum est, ut post tanta belli incommoda et post personarum clades acies subsidiaria, quae studia incepta deinceps exciperet, prorsus deficeret. Id quod proximi Leonis Sternbachii adiutores executi sunt, nunc eorum successoribus iunioribus continuandum erat, tamquam textus ipsius editoribus. Sed tale quidem studium eis inspirare, ut certe par erat, magistri de editione praeparanda optime meriti, non potuerunt, id quod magnopere est dolendum.

Sic Academia Cracoviensis desiderio eorum, qui Gregorii editionem exspectabant, satisfacere non potuit.

⁴¹ Idem quae ibi acta erant, in *Commentariis Nauka Polska (Poloniae Scientia)* l. c. exposuit.